



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

III. Epistola, Eiusdem ad Eundem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

II.

Epistola, Eiusdem ad eundem, & eiusdem arguementi.

HENRICVS DEI GRATIA Romanorum Imperator Augustus Othoni Babenbergensi Episcopo gratiam & omne bonum. Scimus, quia legationibus filij nostri frequenter fatigaris, sicut nobis per tuum nuncium mandasti. Confidimus autem de tua bonitatis fide; quod nec precibus, nec minis, nec persuasionibus, nec blanditiis vnquam acquiescas nostris contra nos inimicis; sed semper fideliter nobiscum permanes. Quantaunque autem persecutiones ab inimicis nostris sustineas; nullatenus tamen terrearis, sed, certus esto quod te non deseremus siue in pace, siue in periculo, & fiduciam habeas in omnipotente DOMINO, quod nobiscum citò à presenti liberaberis periculo. Sicut ergò de te confidimus, & per nuncium tuum tibi mandauimus, ad diem, & locum, quem * condiximus, venire non dubites. Igitur per fidem, quam nobis debes, neque precibus, neque minis aliquatenus terrearis, vt ad filium nostrum transferaris, & ab omni Ecclesia, atque per omnes congregationes tibi commissas, orationes sine intermissione fac fieri ad DEVM pro nobis. Castrum etiam tuum ita diligenter custodiri facias, ne aliquis ex custodibus ab eo descendat. Nuncium etiam tuum ad consolandos mittas * Nurenbergenses.

At S. Otho, eduxit se, & par erat, cum Catholicis contra Schismaticos, non obstantibus blanditiis Henrici IV. pollicitationibus.

** Superiore Epistola, iterat Herbispolis seu Wurzbur-gum.*

** Tunc ab exercitu filij obfessor.*

III.

Epistola, Eiusdem ad Eundem.

HENRICVS DEI GRATIA Romanorum Imperator Augustus Ottoni Babenbergensi Ecclesie Episcopo, gratiam, dilectionem, & omne bonum. Perfectus amor cum vtique domesticus cordis

cordis sit, non ad oculum tantum valet, non ad oculum spectat, non pendet ex tempore, per quem absentes quanto longius separantur, tanto arctius mutua pro se sollicitudine constringuntur. Nos certe absentis tui ampliorem, quam dum affuisti, curam gerimus; eodem quo te proueximus animo, cuncta tibi prospera cupientes; aduersa, etsi non accidunt, quia possunt accidere, verentes. Vnde maximo nobis gaudio est, quod adhuc de rebus tuis optata comperimus, te videlicet ab Ecclesia tua honorifice receptum, grata omnibus responsionum habitibus & actu temperantia placuisse, & in praestandis beneficiis necessariam laudabiliter exhibuisse cautelam. Quae de te consulimus, hortamur & petimus, ut quod facis facias, ne primitias bonae famae, si manum remiseris, perdas, quia, bona inceptio sine fine; speciosi corporis instar est sine capite. Nemo te a delectu Ecclesiasticae secundum iustitiam utilitatis terrore detorqueat, precio flectat, suadendi fellito melle seducat, quoniam tentatus his omnibus, si probatus fueris, facile omnia propulsabis. Si quid autem graue tuis viribus aestimabis, ad nos tibi proculdubio succursuros ex nostri differas occasione praecipi.

IV.

Epistola Eiusdem Henrici ad S. Othonem.

HENRICVS DEI GRATIA Romanorum Imperator, Augustus, * Babenbergensi Episcopo suo fideli charissimo gratiam & omne bonum. Cum DEI prouidentia & magnae pietatis eius consilio de nostro Regno ubique pacificato gauderemus, adueniunt nobis nuncij ex parte G. Ducis, & B. Comitis aliorumque fidelium nostrorum Marchiae Flandrensis, intimantes eos diutius non posse sustinere molestias Roberti Comitis, qui regnum nostrum inuasit, & ad ignominiam omnium, qui in eo sunt, sibi nostrum * Cameracensem Episcopatum usurpauit. Vnde, quemadmodum res hortabatur, nostros Principes conuocatos consulimus, & ab eis sapienter, re notata, constituimus

Videtur haec Epistola scripta paulo postquam S. Otho Episcopus Bambergensem intrerat.

De quo mirio libri 1. de Vita S. Othonis.

** Nomen Episcopi non exprimitur in codice M. S. sed videtur esse Otho.*

** Sigeb. Anno 1102. Roberto Flandrensi*

